

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Tractatus theologicus de doctrina christiana s. de rudementis christ. fidei -
Ettenheim-Münster 99

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Pars prima

[urn:nbn:de:bsz:31-110904](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110904)

10.
20.

Tractatus
De Doctrina Christiana
Partia
De iis, quae ad fidem pertinent.
Caput primum
De fide.
§. 1^{us}

De essentia et necessitate fidei.

Q. 1^o Quid sit fides?

R. Est Donum Dei, ac lumen, quo illustratus homo firmiter asseritur iis, quae divinitus sunt revelata. Dicitur Donum Dei, quia eam nec scientia nec ratione nobis comparare possumus; dicitur etiam Lumen, eo quod per eam revera mens illuminetur ad cognoscenda et credenda mysteria Christianae Religionis, omnesque fidei articulos.

21. Q. 2^o An hoc Dei Donum seu fides sit ad salutem necessaria?

R. Eam adeo necessariam esse, ut sine ea impossibile sit salvari, qui enim non crediderit, condemnabitur. Marc. 16.

§. 2^{us}

De Objecto fidei

22. Q. 1^o Quodnam sit objectum fidei?

R. Objectum fidei 1^o est Deus. 2^o Sunt omnia mysteria fidei, quatenus divina revelatione nobis innotescunt.*

* Inter fidei Christianae mysteria praecipuum locum obtinent, mysteria SS: Trinitatis, et Incarnationis Verbi. De quibus ratio tam barbara unquam extitit, quae Deo proinde c. hq. per totum fusa agitur ubi nempe exponitur Symbolum Apostolorum.

Q. 2^o An Deus solo lumine fidei cognosci possit?

R. quod etiam lumine naturali ad eius notitiam pervenire possumus; siquidem nulla unquam sola natura instinctu ducta, non coluerit. Signatum quippe est super nos lumen vultus tui Domini. Psal. 4. Solus proinde dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Psal. 13.

23. Q. 3^o Quibus rationibus demonstrari possit Deum existere?

Præcipua Dei existentia ratio petitur ex ordinatissimâ Universi gubernatione: nam ubi ordo reperitur, ibi quâdam intelligentia, à quâ ipse proveniat, admitti debet, præsertim si ille ordo constans ac invariabilis fuerit. Sicut enim omnem rationem exere is censendus esset, qui afferere non vereretur, horologia, quæ constantet et accurate horas indignant, absque adminiculo aliujus intelligentia, atque nonni- si ex fortuito casu existere posse; ita non mi- nus, imò longè magis insanire videretur ille, qui tueri audeat, totum hunc universum orbem, cujus omnes penè innumera partes admirabili ordine sibi mutuo copulantur, necnon constantet, ordinatè, et accurate di- riguntur, solum ex fortuito casu, et non ex su- premâ aliquâ intelligentiâ originem suam tra- here; quasi verò structura hominis e.g. et ca- tera taceamus, non longè admirabilior foret, quàm sit structura horologii, et illa potius à casu fortuito, quàm hæc pendere posset?

4
—
12

Adde, quòd ex ipsâ naturali ratione immo- tercat, progressum in infinitum dari non posse, sed admittendam esse unam primam causam, à quâ cetera pendent; sublata quippe primâ causâ secunda non existeret, si secunda non exis- teret, nec tertia esset, si tertia non esset, nec quarta unquam producta fuisset, et sic de ceteris; atque ita in rerum naturâ nihil proorsus foret.

Præterea dato, non tamen concepto, quòd ordo Universi independenter ab aliquâ supre- mâ intelligentiâ subsistere possit; quæro jam, quis materiam ad hanc dispositionem, motum, constantiam, utilitatem, ordinem, pulchritu- dinem, temperationem potius, quàm ad ali- am determinavit? Siquidem ea se est indeter- minata, et omnino indifferens ad quemlibet ordi- nem et motum suscipiendum. Quòd si se ipsam determinavit; ergo elementa, astra, et simi- lia vivunt, liberamque habent voluntatem, quòd tamen nemo sana mentis asserere audebit.

12. Sive nulla Determinationis causa admittatur, ergo materia universi nunquam Determinata fuisse, et ita absque Determinatione perpetuo mansisset; ac consequenter hunc ordinem et motum, quem modo habet, nunquam consecuta fuisset: at num videmus ad hunc et illum ordinem, dispositionem et motum Determinatam. Ergo prima aliqua Determinationis huiusmodi causa, quam Deum nunquam existit.

S. 3^{tius}

De fundamentis fidei.

24. Q. Quodnam sit fundamentum fidei?

R. Christiana fides his tribus veritatibus tanquam basi et fundamento innititur. 1^a est, impossibile est eum errare, qui credit ea, quae Deus dicit. 2^a impossibile est eum errare, qui credit ea à Deo dicta esse, quae Christus nomine et auctoritate Dei credenda nos docet. 3^a impossibile est eum errare, qui credit Christum illa omnia domuisse, quae ab Ecclesia ab ipso fundata, ut per eam illa ad nos transmitterentur, nobis credenda proponuntur. Has propositiones paulo fusius exponimus.

Propositio prima.

Impossibile est eum errare, qui credit ea, quae Deus dicit.

25. Q. 1^o Unde constat eum errare non posse, qui fidem adhibet iis, quae Deus dicit?

R. Ex eo, quod Deus ob infinitam suam sapientiam et sanctitatem nec falli nec fallere possit; verissima proinde sunt omnia, quae Deus dicit, necesse est.

26. Q. 2^o An ea, quae Deus dicit, seu revelat, propterea quod à nobis comprehendere non possunt, minus credere debeamus?

R. Quod omnibus, quae à Deo dicta aut revelata sunt, sive à nobis comprehendantur, sive non, prorsus aequalis fides sit adhibenda; tum quia Deus, qui per se est ipsa veritas, ac infinita sapientia, nihil loqui potest contra ra-

tionem, tum quia noster intellectus finitus est, et valde angustos limites habet; omnipotentia Dei autem est infinita, ac proinde indubitanter facere potest, quae excedunt nostrum intellectum.

13.

Propositio Secunda.

Impossibile est eum errare, qui credit ea à Deo dicta esse, quae Christus nomine et auctoritate Dei credenda nos docet.

Q. 1.^o Inanam sit auctoritas Christi? 27.

R. Eadem, quae Dei; siquidem Christus nomine et auctoritate Dei circa ea, quae credenda nos docuit, locutus est.

Q. 2.^o Unde credere possumus, Christum nomine et auctoritate Dei locutum fuisse? 28.

R. Praecipue ex ejus miraculis, quae fecit, ut veritatem suam à Patre suo missionis demonstraret. Unde Joan. 10. ait: Si non facis opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, et si non vultis mihi credere, operibus credite.

5
13

Q. 3.^o Unde nobis persuadere possumus, Christum vera miracula patrasset? 29.

R. Nemo sanae mentis credere unquam poterit, Deum novam ac sanctam Religionem à Christo institutam, cujus videlicet praecepta unice collimant ad adorandum Deum in spiritu et veritate, ad debellandam omnem idololatriam, et impietatem, ad sanctificandos homines, per falsa miracula stabilire, et toto terrarum orbe propagare voluisse.

Praeterea miracula Christi tam multa sunt, tam diversa, tam magna, prophetis adeo consentanea, à tot populis et nationibus aliisquam sapientissimis semper credita, ac cum tantâ virtute innocentia et sanctâ doctrinâ conjuncta, ut omnem rationem evanesce videtur, quisquis in eis digitum Dei non agnoscat.

Q. 4.^o Unde demonstrari possit, miracula à Christo patrata fuisse? 30.

R. Ex historia vita Jesu Christi à quatuor Evangelistis conscriptâ, et ab Apostolis annun-

31. ^{tiata.} Quia ratione constare possit, verissima esse, quae in Evangelio de miraculis Christi narrantur?

1^a. Methodum sequentem suggerimus: 1^o Pro certo tenendum est, aliquando hominem quemdam Christum nuncupatum existisse; hoc quippe adeo indubitatum est, ut non modo Scriptores sacri et profani, tam contemporanei, quam temporibus illis proximi in uno ore affirmant, verum etiam à mille septingentis et amplius annis nullus Scriptor, cuiuscumque Iesum Religionis fuerit, existit, qui id negare unquam ausus sit.

2^o. Advertendum est, quod Evangelium in qualitatibus sit instructum, ob quas nemo de eius veritate prudenter dubitare possit. Prima, et quae basis est verae Religionis, est ea, quod Evangelium aetate et tempore primorum Christi Discipulorum, qui omnia viderant, quae in illo narrantur, conscriptum fuerit; quam aetatis seu temporis circumstantiam testantur omnes Scriptores; nec à quoquam Iudaeorum aut Ethnicorum, licet aliquando Religioni Christiano infensissimorum, unquam in Dubium revocata est.

Secunda qualitas Evangelii est, quod illud non ab uno, sed à diversis hominibus litteris mandatum fuerit: Id primi SS: Patres Apostolorum Discipuli testati sunt; imò ipsimet infensissimi hostes Christi, quales fuerunt Celsus, Porphyrius, Julianus Apostata, &c. ultro agnoverunt. Accedit, quod Epistola ab Apostolis exarata testimonium perhibeant veritati SS: Evangeliorum, adeo ut tot homines, qui mirabilia Christi facta narrant, non possint non mereri omnem apertum.

3^o. Pro certo habendum est, omnino alienum esse à vera ratione, velle asserere, quod Apostoli circa miracula Christi decepti fuerint, aut decipere voluerint. Nam imprimis Apostoli nihil narrant, nisi quod propriis oculis suis viderunt, aut ab iis, qui id viderunt, immediate au-

perunt. Videntur v.g. Lazarum post quatuor se-^{15.}
pultura hoc diem rursus à mortuis suscitatum; vi-
derunt hominem à nativitate vœvum visum ve-
nisse; viderunt, qualiter Christus quinque homi-
num milia cum quinque panibus, et duobus pisci-
bus satiaverit. p. Viderunt ipsum et Christum,
postquam in cruce cepisset, ac cor eius lancea
transfixum fuisset, positum fuisset in sepulchro.
tum post tres dies rursus eum vident à mortuis sus-
citatum, cum ipso loquentur, manducant, con-
versantur, non unâ die tantum, sed per qua-
draginta dies. Et quod palmarium est, non
unus vel duo tantum eum resuscitatum viderunt,
sed senaginta, sed centum, imò plusquam
quingenti homines à laudo allegati.

Præterea Apostoli, post resurrectionem et
ascensionem Christi, in nomine ac virtute
eius agros sanarunt, demonia eiecerunt, clau-
dos ambulare fecerunt, mortuos suscitaverunt:
nunquid ex propriis factis suis deipri potue-
runt? nemo sano mentis id unquam asser-
ere audebit, nisi tueri velit, hominem, dum
manducat, dubitare, aut etiam negare posse,
quod manducet. Omni igitur prudentiâ
omni sensu, omni ratione careat, necesse
est, quisquis Apostolos deceptos fuisse dicere
ausus fuerit.

⊕ Sed neque ullâ ratione credi potest,
eodem Apostolos deipere voluisse. Nemo
quippe sine alicujus emolumenti spe alios
deipere tentat. Quid autem emolumenti
Apostoli ex hâc fictione sibi comparandum
proposuissent, planè non videmus: num ho-
norem et gloriam? Sed quis honor, quæ glo-
ria ab ipsis sperari poterat prædicando ho-
minem inter duos latrones crucifixum esse
adorandum, maxime, cum Christus sapiens ipsis
apertè prædixisset, illos ex hâc prædicatio-

6
14

* 1. Cor. 4.

16. ne nihil aliud quam contemptum, opprobria, et ignominiam, imò carceres, nuditates, persecutiones, martyria, acerbissimam denique mortem relaturos esse. Num divitias, aut hujus vite commoda? At S. Paulus de se suisque co-Apostolis declarat: usque in hanc horam et emurimus et stimus, et nudus sumus, et colaphis cedimus, et instabiles sumus, et laboramus manibus nostris. An verò Christus mentes eorum ita fascinaverat, ut etiam post ipsius mortem illius causam et honorem tueri non destiterint?

Sed si Christus non resurrexit, prout ipsis Apostolis promiserat; tunc eos turpiter decepit: qui ergo fieri potuit, ut ei nihilominus cum propria vite ac commodorum temporalium jactura adhaerere non cessaverint? An non potius extrema dementia, quam impostura, Apostoli insinuandi essent, quòd tam constanter ac fortiter Christum confessi sint, à quo decepti fuerant, et ex ejus confessione nullum, ut diximus, aliujus honoris, aut temporalis emolumentis spes eis affulgebat, sed solum flagella, carceres, supplicia, coeques ipsis impendebant?

Præterea, si Apostoli inter se se convenissent, ut namque, predicando falsa Christi miracula, totum mundum deciperent, et in suam sectam pertraherent; profectò fuissent homines omni dolo et iniquitate pleni. Sed quis unquam audivit, quòd dolosi et iniqui homines tot labores exantlent, tot supplicia subeant, ut totum universum ab omni impietate purgent, et sanctitatem in eum invocant?

In quibus, amabo, monumentis major probitas, sanctitas, equitas, pietas, altiorque Dei ac cultus illius idea, quam in Evangelio, quòd predicarunt Apostoli, unquam reperiri poterit? An non etiam simplicitas ipsorum, quæ in eodem Evangelio, aliisque eorum scriptis, elucet, dum infima plebis homines se unnuant, suos defectus, ac vitia, putà incredulita-

17.
tis, ac proditoris erga Magistrum suum ultro
produnt, manifestum facit, nihil minus quam
eos fraudulentos, sed potius inauditō exemplo
sinceros fuisse homines.

Denique, qui aliquem ad suam sectam ad-
ducere cupit, ei verisimilia, et quae rationem
non superent, non verò ad speciem impossibilia
proponere curat; hinc est, quòd Apostoli, si
desipere voluissent, necessario ex Evangelio
expungere debuissent omnia ea, quae mens
capere non valet, quaeque rationi contraria,
aut saltem supra rationem esse videntur,
qualia sunt, quòd Verbum sit caro factum,
id est, Deus homo, et vicissim homo Deus,
quòd ipse Christus ab ipsis Deus dicitur, de Spiri-
tu Sancto sit conceptus, quia Spiritus Sanctus est
quodam persona divina, adeoque Deus; natus
verò ex aliqua creatura, et quidem contra or-
dinem naturae, ex Virgine, non ex muliere,
quòd nisi manducaverimus ejus carnem, et bibe-
rimus ejus sanguinem, non sumus habituri vi-
tam aeternam: quae verba ipsismet Christi dis-
cipulis inquit adeò dura visa fuere ut multi
eorum abierint retrò, Joan. 6. Quòd Christus,
medius inter duos latrones pendens in cruce, cla-
maverit se desolatum à Deo: Deus Deus meus,
inquit ipse Matth. 27. ut quid dereliquisti me?
Haec, inquam, et plura alia ad speciem incredibi-
lia reticere debuissent Apostoli, si fallere deve-
rissent.

Verum, quod plus adhuc est, etsi desipere de-
verissent, non potuissent tamen. Bonamini
enim Apostolos cum ceteris Christi Discipulis post
ejus mortem fraudulenter convenisse, ut prae-
dicarent, cum verum Messiam fuisse, ac ejus re-
surrectionis oculatos testes se esse: An non vel
unus ex eis saltem, sive blanditus, aut spe merce-
dis illectus; sive supplicis, quae etiam ab obsti-
natissimis veritatem extorquent, deterritus, solo-
lum istud consilium prodidisset: verum nihil
minus quam id accidit; omnes quippe gra-

7

14

* act. 5. v. 29.

visissima tormenta, ac mortem ipsam durissimam
maluerunt pati, quam Christum ^{non} confiteri dicen-
tes: Obediendum esse Deo magis, quam homini us.

Deinde, qui fieri potuisset, ut ipsi Apostoli, ho-
quin rudes homines, in summa rerum inopia,
non humana sapientia permaribilibus verbis,
non armis, non muneribus, innumeros omnium
nationum homines, non plebejos tantum, sed
etiam sapientiores, reluctantibus tyrannis,
inobstante natura, et quodammodo ipsa ra-
tione, Evangelio ac proinde Christo solis suis
mendaciis et imposturis subicere potuissent;
adeoque Iudaismum tam antiqua veritatis
possessione firmatum, necnon Paganismum
totam Romani Imperii tunc temporis florentissimi
et toto mundo dominantis potentia suffultum
impotere ausi fuissent, ac tam feliciter evetis-
sent? Sane nemo est, qui non aperte videat,
id tam crassis artibus et dolis humanis efficere non
potuisse; proinde opus unius ac solius Dei esse,
omnino fatendum est.

Quisquis igitur haec omnia seria ac minime
praecipua mente pro rei dignitate expendit,
profecto inveniet verissima esse, quae de mirabilis
Christi namantur ab Apostolis, ac proinde Chris-
tum Dominum verum fuisse Messiam et Docto-
rem à Patre missum, ut novam ejus legem
orbi manifestaret; adeo, ut impossibile sit eum
errare, qui ipsius doctrinam amplexus ac secutus
fuerit.

Propositio 3^{ta}

Impossibile est eum errare, qui credit
Christum ea omnia docuisse, quae
Ecclesia ab ipso fundata, ut per
illam ea ad nos transmitterentur, nobis
credenda proponit.

32.

Q¹o. Quid sit Ecclesia?

R. Ecclesia nomine intelligitur visibilis
congregatio omnium fidelium, qui Christi fidem
ab ipsis tenaciter profitentur. Caput ejus invi-
sibile Christus est, visibile Pontifex Romanus,
S. Patris legitimus Successor.

Q. 2^o. Quia sit auctoritas Ecclesie?

19.
33.

R. Ea est, ut Ecclesia possit ordinare, judicare, ac infalibilibiter definire omnia illa, quae ad fidem et bonos mores spectant: Ipsa liquidem à Christo Domino constituta est, ut nobis fidei veritates, ac Evangelii doctrinam explicet.

Q. 3^o. Unde id constet?

34.

R. Ex continuo usu ab innumabilis ipsius Ecclesiae. Quotiescumque enim aliqua fidei et morum controversia orta est, sola fuit Ecclesia, seu si magis, soli fuerunt Ecclesiae Pastores, qui eam sua auctoritate direxerunt: Sic saeculo Ecclesiae 1^o Ecclesia in Concilio Hierosolymitano sub S. Petro anno Christi 51^o celebrato contra Corinthum definiuit questionem, an servanda essent caeremoniae veteris Legis cum Lege nova. Saeculo 2^o. Variis Conciliis Romano libet, Galatino, Pontico, sub Victore Papa contra Quarta-decimanos* definita est his circa Baschatis observationem. Saeculo 3^o. In Concilio Arabico sub Fabiano Papa Romano damnati sunt haeretici negantes animae immortalitatem. Denique, ut multa alia omittamus, initio saeculi 4^{ti} anno videlicet 325^{to} habitum est Concilium Nicaenum I. sub Sylvestro Papa, in quo haeresis Ariana Christo divinitatem adimens damnata fuit.

Præterea usus iste seu possessio fidei et morum controversias definiendi, ac doctrinam Christi in nos transmittendi, quae à tempore Apostolorum usque ad nostra tempora pro Ecclesia stat, evidenter stabilitur ex Scriptura sacra: Christus enim Petro, et, ob eandem paritatis et necessitatis rationem, consequenter ejus Successoribus Romanis Pontificibus ait: Pascue oves meas. Joan. 21. item ad Pastores Ecclesiae ait: Qui vos audit, me audit. Et Matth. 29. Euntes docete omnes gentes, p.

Et certè unde licemus, quòd Evangelio Fides sit adhibenda, aut quòd hic vel ille liber, seu textus, non fuerit corruptus ab haere-

8
16
* Quartodecimani
sic dicti, quòd Bascha cum Judaeis, Decima quarta luna mensis martii, celebrarent.

20.

trius, non mutatus ab amanuensibus, non discordans
 suo originali, nisi per ministerium Ecclesie,
 illud ^{contingat} didicissemus; ut et quod in eodem Evange-
 lio, ^{contingat} verbum scriptum omnino illi conforme,
 quod Christus locutus est. Unde, Evangelio
non crederem, ait S. Augustinus, lib. contra
 Epist. fundamenti c. 15. nisi me Ecclesia Ca-
tholica auctoritas commoveret, quae subla-
ta, nec etiam Evangelio credere possem.

Hoc itaque verbum divinum voce prola-
 tum, est primum ac precipuum medium
 percipiendae Christi doctrinae; unde ait Apos-
 * Rom. 10. v. 17. tolus, fides ex auditu*. Non dicit, ex visu,
 aut ex lectione; ut sciamus, Christianam Re-
 ligionem primario ac precipue per ministe-
 rium Ecclesiae Pastorum, quos Christus misit
 ad annuntiandam veram fidem, esse stabi-
 litam. Quomodo audient, inquit idem

* ibid. v. 14. Apostolus, sine predicante, et quomodo pra-
dicabunt nisi mittantur.

35.

Q. 4. An S. Scriptura novi Testamenti
 sola sit nobis regula sufficiens ad stabilendam
 Christianam fidem?

R. Id quidem arbitrantur nostrae aetatis
 Sectarii post Lutherum, Calvinum, &c. Sed in-
 immensum falluntur. Nam sicut in omni
 Republica, praeter leges, etiam requiritur
 Index vivus, qui Sententiam ferat inter
 partes litigantes; ita pariter in Ecclesia, praeter
 legem Evangelicam, opus est Iudice, qui
 fidei et morum controversias definiat; se-
 nis enim nullus esset finis litium. Et certe
 omnes fidei et morum difficultates oriuntur
 ex Evangelio: igitur impossibile est, ut solo
 Evangelio adminiculo tolli possint; nisi con-
 tra rationem dicere velimus, quod res diffi-
 cilis et obscura se ipsam facilem et claram
 reddat.

Nec valet si dicant; veritatem unius
 textus obscuri per alteram clariorem demons-

trari debere: Nam vel ille clarus locus tollit om-^{21.}
nem difficultatem ac obscuritatem alterius, de
quo controversatur, vel non tollit? Si tollit:
quare ergo adhuc in controversiam adducitur?
quare non omnes ei acquiescunt? Si non tollit:
ergo nihil per eum definitur, resque, ut antea
controversa et indecisa manebit. Quin imò
secundus locus, qui perperam clarus fingitur,
ad nihil proderit, quam ad multiplicandam
difficultatem; et cum prius circa unicum
textum disceptabatur, modo difficultas circa
duos, primum nempe et secundum simul erit
expedienda. Quod si tertius, quartus, quin-
tus, aut plures alii adducantur, tanto ma-
gis multiplicabuntur difficultates.

Nec valent quæ 2. aiunt, Libriet: Spi-
ritum interiorum eorum, qui veram fidem ha-
bent, infallibilem regulam esse, verum ac
genuinum Scripturae sensum dignoscendi. Nam
cum quilibet Christianus arbitretur, se veram
tenere fidem, necnon qualibet Christiana
Societas seipsum eidem Evangelii textui diver-
sum sensum tribuat, prout nempe rebus suis
congruere arbitratur, hinc necesse est, ut hu-
juscumodi interpretationes, utpotè sibi invicem
contraria, semper remaneant controversa,
ac dubia. Summe pernicioosa proinde est
haec opinio, quippe quæ ad nihil prosit, quam
ad obstinandos animos, multiplicandas lites,
haereticasque fovendam; dum videlicet par-
tes dissentientes sibi firmiter persuadent, se
habere spiritum Dei, ac consequenter errare
non posse; cum tamen evidens sit, unam al-
teri contradicentem necessario in errore ver-
sari.

Præterea, si Evangelium esset sola fidei
et morum regula, et præter idem regula
alia vel auctoritas non foret admittenda,
Christus doctrinam suam, cum sit obnoxia tot
diversis interpretationibus, quot sunt in Chris-

P.C.
17

tianâ Societate capta, maxima incertitudini ex-
 posuisset, nec consuetudine fidelium vere tranquil-
 litati sufficienter consulisset. Pro exemplo
 sit unius hic textus: Hoc est corpus meum. Cal-
 vinista, seu si mavis, Zwinglianus ait, se, ut sua
 Saluti consulere, magnâ cum diligentia Scriptu-
 ras evoluisse ac scrutatum fuisse, Deumque, qui
 lacrimis pulsantibus et orantibus intellectum tri-
 buit, sollicitis precibus invocasse, ac tandem
 post longam discussionem, Deo adjuvante, se
 invenisse, quod verbum Est hic improprie
 sumi debeat, ita ut idem sit, ac Significat;
 unde et realem Corporis Christi presentiam
 in Eucharistia negandam esse pronuntiat.
 Huic se opponit Lutheranus, aitque, se ea-
 dem adhibuisse media, qua Calvinista seu
 Zwinglianus, ac tandem manifestè depre-
 hendisse, quod verbum istud Est non nisi
 in proprio sensu accipi possit, ac proinde rea-
 lem Corporis Christi presentiam in Eucharis-
 tia Sacramento admitti debeat. Ubi jam-
 Judex, qui hanc controversiam Lutheranus
 inter et Calvinistam ex Evangelio Subortam
 dirimat? Profecto quamdiu non alius
 Judex, quam Evangelium, aut scilicet ille
 ac perniciosus Spiritus privatus admittitur,
 tamdiu manet res indecisa, et incerta; adeo
 ut merito utraque pars metueret debeat, ne
 forte in errore versetur.

Igitur non solum Evangelium est regu-
 la sufficiens ad stabilendam fidem Christi-
 anam, sed proter illud admitti adhuc debet
 auctoritas Ecclesie, quod eo manifestè
 constat, quod Christiana fides steterit, prius-
 quam Evangelium aliquod conscriptum fuerit.
 Siquidem Evangelium S. Matthæi, qui primus
 fuit Evangelista, non nisi quatuordecim
 post Christi mortem annis exaratum est; et
 S. Joannes Evangelium suum, in quo continen-

tur facta historica, et praecipua fidei dogmata
 ab aliis Evangelistis praetermissa, primum an. Christi
 96. conscripsit. Igitur fatendum est, quod
 vera fides in exordio Christianae Religionis in
 sola auctoritate Ecclesiae Verbum Dei predicant-
 tis, ac fidei et morum controversias dirimen-
 tis steterit, ac etiamnum stat. Ostendant
 enim Sectarii ex Evangelio, quando Ecclesia
 de sua sua possessione dejecta fuerit: ex Evan-
 gelio, inquam; nam, iuxta eorum opinio-
 nem, nihil credi debet, nisi quod in Evan-
 gelio continetur, et ex eo demonstratur.
 Atqui nihil tale unquam ex eo probare vale-
 bunt: nec enim variis suis contra sensum
 Ecclesiae horum sacrorum librorum interpre-
 tationibus, quas non divinum, sed merè
 humanum duntaxat opus esse constat, ac
 proinde fallibile, incertum, ac dubium, ean-
 dem Ecclesiam à sua certà possessione un-
 quam deicere poterunt.

Q. 5. Unde siue possimus, cum errare 36.
 non posse, qui credit ea, quae Ecclesia nobis ve-
 renda proponit?

R. Ex eo, quia, cum Christus praecipiat,
 ut audiamus Ecclesiam, et quicumque non
 audierit, sit sicut Ethniscus et publicanus;
 Matth. 18. v. 17. necesse est, ut Ecclesia sit infali-
 bilis, alioquin si errare posset, Christus pra-
 cipiendo, ut Ecclesiae erranti obtemperemus,
 nos in errorem induceret; immò jam non esset
 vera illa Christi sententia: huius vos audit, me
audit; Luc. 10. v. 16.

Proterea Christus Petro ac consequenter ejus
 Successoribus ait Matth. 16. v. 18. Petrus, et
super hanc petram edificabo Ecclesiam meam,
et porta inferi non prevalebunt adversus eam.
 At si Ecclesia fallibilis foret, porta inferi uti-
 que prevalerent adversus eam. Igitur qui
 credit ea, quae nobis credenda proponit Ecclesia,
 is errare nequit.

Haec paulò furius tractare placuit, ut
 Tyrones nostri, quorum gratia haec scribimus,

2
 18

24. tanto solidius fidei Catholicae fundamentis, tanto
facilius et alacrius Spirituale, quod meditantur
Religionis Monasticae aedificium Superstruere
valeant.

27. Caput 2^{um}
De Articulis fidei in Symbolo Apo-
stolico contentis.

Symbolum Apostolorum ab Apostolis, ut
certa est Ecclesiae traditio, confectum in tres divi-

* Unus est Deus, tres dicitur partes. * In i^{ma} Divina natura prima
autem persona Di- Persona, mirumque creationis opus ponitur.
vina, Pater, Fili- Altera secundam personam et humana redemp-
us et Spiritus Sanctus. tionis mysterium continet. Tertia denique
hae ergo sunt unum De- tertiam personam, quae est caput et fons sanc-
us. Deus ergo est unus, titatis nostrae exhibet. Prima persona voca-
in essentia seu na- turatur Pater, secunda Filius, tertia Spiritus Sanctus.
tura, trinus autem in personis.

* Pars 1^a
* Pars 2^a

Symbolum autem hoc Apostolicum Catho-
lica Ecclesia nostra in duodecim articulos
distribuit, atque hoc ordine recitat.
* Credo in Deum Patrem, omnipotentem.
* Et in Jesum Christum, filium ejus unigenitum,
Dominum nostrum. Qui conceptus est
de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.
Baptus sub Pontio Pilato, crucifixus,
mortuus, et sepultus. Descendit ad infe-
ros, tertia die resurrexit a mortuis. As-
cendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Pa-
tris omnipotentis. Inde venturus est
judicare vivos, et mortuos. * Credo in Spi-
ritum Sanctum. Sanctam Ecclesiam Ca-
tholicam. Sanctorum communionem,
remissionem peccatorum. Carnis resur-
rectionem. vitam aeternam. Amen.

* Pars 3^a

Illius porro hos singulos articulos singulis
paragraphis exponimus.

§. 1^{us}

De i^{mo} Symboli Apostolici
Articulo.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem caeli et terrae.

38.

Q^uid intelligatur nomine Dei?
Intelligi quamdam substantiam p^{er} se

Spiritualium, à se existentem, ac infinite perfectam,^{25.}
adeoque Deus est purus Spiritus, ab aeterno existens,
ac in se comprehensus summam ac infinitam bo-
nitatem, Sapientiam, omnipotentiam, immen-
sitatem, aliasque innumeras perfectiones.

Nec obstat, quod S. Scriptura interdum Deo cor-
porum proprietates et actiones tribuat; id enim
propterea fit, ut nobis, qui sensibus hinc
pediti, per sensibilia demonstrat invisibilia:
nam oculi eius sunt intellectus ad cognoscendum;
cor illius est immensa charitas ad nos impense
diligendum; aures sunt miserationis ad subveni-
endum; dicitur etiam stare, ut eius immobili-
tas; Sedere, ut eius majestas declaratur.

Q. 2.^o Cur plerumque, cum volumus expri- 39.
mere, quid sit Deus, dicere soleamus, quod sit
summum bonum?

R. Id propterea fieri, ut exitemus ad eum
super omnia amandum: nam cor nostrum ni-
hil diligit, nisi quod ei bonum est, tantoque
majori impetu fertur in illum, quanto ipsi
sibi melius esse videtur. Cum igitur dicimus,
Deum esse summum bonum, significamus,
quod sit Ens nobilissimum, quò videlicet nihil
majus aut melius esse, vel excogitari potest,
quodque in se continet omnem opulentiam,
suavitatem, amantitatem, jucunditatem, dil-
cedinem, &c. Et in quo sunt omnia proventus bo-
na, omniaque desiderabilia; ac proinde,
qui merito super omnia diligendus sit.

Q. 3.^o Unde sciamus, quod Deus sit purus 40.
Spiritus?

R. 1.^o ex eo, quod sit Ens omnium Entium
longè nobilissimum, omnemque imper-
fectionem excludens, quod rebus materiali-
bus et corporeis, quae multas habent imper-
fectiones, convenire nequit. 2.^o ex eo,
quod Deus per suam immensitatem coelum
et terram impleat, nec ullus locus aut esse
aut excogitari possit, in quo non sit Deus,
quin tamen ubi sensum à nobis percipi valeat;
unde necesse est, ut sit quaedam Substantia

3

19

mei spiritualis.

41. Q. 4.º Cur etiam Deus dicatur ineffabilis?

R. Ideo, quia res nominamus, et exprimimus, sicut eas cognoscimus, sed Deum non possumus perfecte cognoscere, nec proinde perfecte exprimere; sed neque invenimus, cui eum asimilare possumus; non est splendidus, sicut lux huius Solis visibilis; non habet elegantiam, quam in floribus miramur; nec eam venustatem, quam in campis et sylvis intuemur; nec eam pulchritudinem aut formositatem, quam in hominibus, ceterisque creaturis, reperimus: sed alia ei inest elegantia, alius decor, alius splendor, alia amoenitas, alia pulchritudo, quam nec coelestes Spiritus exprimere valent. Neque est dulcis, sicut sunt suaves cantilena, quae sensum afficiunt; sed aliam habet dulcedinem et suavitatem, qua exuperat omnem captum. Neque magnus est magnitudine et quantitate molis, sed magnitudine potentiae et virtutis, quae transgreditur omnem intellectum, adeoque veri est ineffabilis.

42. Q. 5.º Cur Deus etiam dicatur aeternus?

R. Quia initio et fine caret, dum nullum initium aut finem eius durationis in eo reperire est; si enim millia millium et decies centena millia saeculorum, et quidquid amplius durationis mente concipi potest, cogitemus; ante omne idus tempus Deus est, idque in infinitam duratione praecedit; et si futura tempora in infinitum multiplicemus, ipse transactis illis, et post infinitam illorum durationem, idem plane existet, quia in generationem et generationem sunt anni eius, atque mille anni, imò etiam infiniti, ante oculos eius

tanquam dies hesternus, quo praeterit. Psal. 99. 27.

Q. 6.º Cur quoque dicatur immensus? 43.

R. Ideo, quia eius magnitudo est prorsus illimitata, adeo, ut non solum coelum et terram impleat, sed etiam mille mundos, si crearentur, sua maiestate implere valeat. Tam stupenda est igitur eius immensitas, ut si fingamus, tantam esse à celo usque ad terram distantiam, ut lapis molaris à firmamento coeli cadens in terram spatium mille annorum expleri debeat, donec eò perstringat; nihilominus haec vastitas immensitati divina comparata velut nihilum computari debet; siquidem eam intellectus humanus sibi imaginari potest, at immensitatem divinam nulla mens capere sufficit. En quam immensus sit Deus!

Q. 7.º Cur Deus dicatur etiam perfectissimus? 44.

R. Ideo, quia in eo est omnis gradus bonitatis, omnis gradus excellentiae, omnis gradus potentiae; verbo, omnis gradus perfectionis, et nihil est in eo, quod ulterius perfici possit, omnia siquidem in illo sunt infinita, sine numero et mensura; est enim in magnitudine immensus, in bonitate summus, in sapientia inestimabilis, in pulchritudine super omnia desiderabilis, in dulcedine ineffabilis, adeo ut plane desipiat, quisquis aliquando praeter ipsum amat.

Q. 8.º Unde sciamus, quod unus sit tantum Deus, in quem credere debeamus? 45.

R. Ex eo, quod Deus summè magnus esse debeat, et re ipsa sit: at de ratione summè magni est, quod ei nihil adequetur, nec par habeat, ac proinde, cum Deus sit summè magnus, etiam unus sit necesse est.

Adde, iuxta Lactantium Epit. Div. inst. c. 2. quod aliter Summa rerum consistere nequeat, nisi ad unum cuncta referantur, nisi unus teneat gubernaculum, nisi unus frenamoderetur, regatque universa membra

4
20

28
tanquam mens una. Si multi sint in exercitu
Imperatores, nec parere poterit miles, cum di-
versa à diversis jubeantur, nec ab ipsis unitas
obtineri, cum sibi quisque pro moribus suis sibi
consultat. Si in hac mundi Republica nisi
unus fuisset et esset moderator, qui et condi-
tor; aut soluta fuisset omnis haec moles, aut
nec condi quidem omnino potuisset. Prae-
terea in multis moderatoribus, seu rectoribus non
potest esse totum regimen, cum singuli sua offi-
cia, suasque obtineant potestates. Nullus igitur
eorum poterit omnipotens muneri: quod
tamen est verum Dei cognomen: quoniam
quilibet eorum id solum poterit, quod in ipso est,
quod autem in aliis nec audebit attingere.

Nec tamen obstat, quin in hac una divini-
tate sint tres Personae: Pater videlicet, qui à
nullo est genitus; Filius, quem Pater se ip-
sum intuens et intelligens ante omnia saecula
genit; et Spiritus Sanctus, qui itidem abater
nō ex Patre et Filio per voluntatem, et amorem
procedit. Et in hac Trinitate nihil prius
aut posterius, nihil majus, aut minus.

In hac subtilius inquirere nihil jurat, quia
qui scrutator est majestatis, opprimetur à glo-
ria ejus. Prov. 25. Quidam tamen ad captum
rudium, licet imperfectè admodum, hanc tri-
nitatem Sanctissimam exemplo Solis cahi-
bere conantur: tria, inquirunt, sunt in
Sole, Substantia nimirum, Splendor, et
calor: Substantia Solis emittit Splendo-
rem, calor vero à Sole et Splendore proce-
dit.

Hoc quoque articulo primo Symbo-
li hujus profiteamur 1.º nos credere, seu
assentiri Deo, sive in Scripturis, sive in
Traditione, sive in Conciliis Oecumenicis,
sive denique per Summum Pontificem
Sedemque Romanam et Apostolicam facta
aliqua, aut dogmata revelanti. Profite-
mur 2.º nos credere ipsum, seu illum exis-

tere unum in natura et trium in personis. 3^o 29.
profitemur nos credere. In ipsum, hoc est, declaramus nos nostram spem in eo collocare, tanquam in summo bono, tanquam in ultimo fine, ad cuius possessionem conditi sumus.

Q. 9^o. Cur hic Deus Pater dicatur omnipotens? 46.

R. Dicitur Omnipotens, 1^o ut summa vis et immensa maiestas eius ostendatur. 2^o ut intelligamus, nihil provis esse, nec animo aut cogitatione fingi posse, quod ab eo fieri nequeat.

3^o ut fides et spes nostra magis stabilietur:

Si enim fixum in animo nostro tenemus, nihil non à Deo fieri posse, iuxta illud Luc. 1.

Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

facile Deo assentimur, eique inhaeremus, ac omnem spem et fiduciam nostram in eo collocamus.

Profitemur ergo illum omnipotentem esse, seu facere cum posse, quidquid voluerit, illum adunisse, non quidem ex praesupposita aliqua materia, sed ex nihilo sui et subiecti, entia omnia, sive spiritualia sunt, sive corpora;

illumque omnia illa entia iugiter conservare, et movere ad fines sibi debitos.

Q. 10^o. An solus Pater sit omnipotens? 47.

R. Quod non; quia, cum omnes personae sint omnino aequales, hinc aequè Filium et Spiritum S. ac Patrem, omnipotentem confitemur.

Attamen Patrem, quia omnis originis fons est, hoc nomine specialiter nunciamus;

quemadmodum etiam Filio, qui aeterni Patris Verbum est, Sapientiam, et Spiritui Sancto, qui utriusque amor est, bonitatem tribuimus, quamvis haec et alia huiusmodi nomina toti Trinitati sint communia.

Q. 11^o. Cur et quomodo Deus coelum et terram, et omnia que in eis sunt, creaverit? 48.

R. ad 1. Deus universa creavit propter gloriam suam, specialiter autem homo creatus est, ut ipsi Deo serviat, eum impense diligat, ac tandem in aeternum eo fruatur.

30.

Ad 2^{um} Omnia creata fieri per verbum
fiat; tanta enim est Dei vis et potentia, ut ver-
bo solo tam visibilia, quam invisibilia, nempe
Angelicos Spiritus ex nihilo producat, producta
vero perpetuo conservet, atque gubernet cum sum-
ma bonitate ac providentia; Attingit à fine us-
que ad finem, et disponit omnia suaviter, inquit
Sapiens, c. 8. v. 1.

5

21

49.

Q. 12^o. An haec divina providentia adeo certa sit
ut de ea nihil dubium sano menti suboriri possit?

R. cum Lactantio Epit. Instit. Divin. c. 1. Divi-
nam esse providentiam, qua regat mundum, ne-
mini dubium est; siquidem omnium Philosopho-
rum, praeter Scholam Epicuri, una vox, una
sententia est, nec fieri sine artifice Deo po-
tuisset mundum, nec sine Rectore constare. Ita-
que non solum à doctissimis viris, sed et om-
nium mortalium testimoniis ac sensibus co-
arguitur Epicurus. Quis enim de providen-
tia dubitet, cum videat coelos terramque,
sic disposita, sic temperata esse universa,
ut non modo ad pulchritudinem, ornatum
que mirabilem, sed ad usum quoque homi-
nium, ceterorumque viventium commodita-
tem aptissime conveniant. Non potest igitur,
quod ratione constat, sine ratione co-
pisse.

§. 2^{us}

De Secundo Symboli articulo.

Et in Jesum Christum Filium ejus
unicum Dominum nostrum.

50.

Q. 1^o. Quid hujus articuli verba demons-
trent?

R. Secundam in Deitate personam Je-
sum Christum verum Deum et hominem,
atque in eum fidem, sine qua impossibile
est nos salvos fieri, habendam esse. Hoc
est vita aeterna, ut cognoscat te solum Deum
verum, et quem misisti Jesum Christum. Joan.
17. v. 3. Et, Non est in aliquo alio Salus, ait
S. Petrus, act. 4. Nec enim aliud nomen est sub

coelo datum hominibus, in quo oportet nos salvos
fieri. Credimus ergo existere in divinis secundam
personam, in qua, sicut et in prima, spem nos-
tram collocemus. 31.

Q. 2.º Quid nomina Jesus et Christi denotent? 51.

R. Jesus idem est ac Salvator; quia se veram
filium Dei in hunc mundum venit, ut homines sal-
vos faceret. Vocabis nomen eius Jesum, inquit
Angelus ad Joseph, Matth. i. ipse enim salvum fa-
ciat populum suum à peccatis eorum. Dicitur
Christus, id est, Unitus, unitione scilicet spiri-
tuali, in Sacerdotem, qui pro nobis, ut homo
est, apud Patrem interpellat; in Regem, qui
Ecclesie per universum orbem diffusa præsistit.
et in Prophetam, qui Dei legem nos doceat tan-
quam Supremus Magister, iuxta illud i. Joan. 2.º v. 27.
unitio eius docet nos de omnibus.

Q. 3.º Quid per illa verba Filium eius unicum 52.
nobis credendum proponatur, seu significetur?

R. Dicitur Filius, eo quod procedat ab
eterno Patre per generationem, in simi-
litudinem nimirum naturae, hoc est, per
communicationem ejusdem specie et nu-
meri naturae, quae est in Patre, à quo gene-
ratur ab eterno, iuxta illud Joan. i. In prin-
cipio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum;
et quod sit alia persona à Patre, quamvis uni-
us cum illo naturae ac substantiae. Dicitur
praeterea Unicus filius, naturalis nimirum,
non autem adoptivus; ac proinde, ut jam dic-
tum, qui non minus quam Pater, sit Deus.

Q. 4.º Cur Christus dicatur Dominus nos- 53.
ter?

R. Si spectemus eius divinam naturam,
cum sit Creator universi aequè ac Pater;
omnia enim per ipsum facta sunt, Joan. i.
ita pariter cum Patre est rerum omnium
Dominus. Si vero spectemus eius humanam
naturam, quandoquidem ab eo empti sumus
peccato magno, ut ait Apostolus, id est, peccato
lò sanguine eius à miserabili servitute, et

32. à peccatis omnibus redempti ac liberati sumus; idcirco jure hanc potestatem auget, ut verè Dominus noster esset, ac diceretur.

§. 3^{us} tunc

De tertio Symboli articulo.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Marià Virgine.

54. Q. 1^o Quid per hunc articulum profiteamur?

6 R. Profitemur 1^o credere nos Christum non ex virili semine conceptum fuisse, sed virtute Spiritus Sancti, cui, ut potè per amorem à Patre et Filio procedenti, opera externa, quæ ad charitatem referuntur, tribui solent per modum loquendi, appropriationem dictam, quamvis alioquin toti Trinitati sint communia.

Profitemur 2^o Mariam, qua orta est ex semine Abrahæ s: cui quidem promissio de Messia facta fuerat, genes. 22. v. 18. Benedicentur in semine tuo omnes gentes: / verè esse matrem Jesu Christi, et verè Deiparam, cum ex illius sanguine efformatum sit Jesu Christi corpus, ita tamen, ut ipsa nullum papæ sit prædisponente Spiritu Sancto, / Virginitatis detrimentum aut in conceptione, aut in partu: ex illius nempe sinu Verbum incarnatum exiit non rebrato Virginitatis clastro, sicut exiit postea ex sepulchro, non rebrato lapide; sicut coenaculum januis clausis subisse legitur in Evangelio.

* In hoc sensu hæc intelligenda esse arbitrantur nonnulli Philosophi, vid. Quæst. 55. Philos. ex Metaph. Eværit. 6. n. 100.

Q. 2^o Quomodo ergo Incarnatio Christi facta fuerit?

R. Postquam Angelus Gabriël ad Virginem Mariam à Deo missus eidem mysterium hoc annuntiasset, ipsaque verbis ejus assensum dixisset, luc. 1. v. 38. Eue amilla Domini / Spiritus S. supervenit in eam, ac formavit ex purissimo ejus sanguine sanctissimum Christi corpus, atque in eodem instanti creata est anima Christi ac corpori conjuncta; tum utrique, corpori scilicet et animæ, unita hypostaticè Divinitas in Dei Filii personâ, ita quidem, ut in ipso temporis momento

Christus perfectus Deus, et perfectus homo extiterit. 33.

Q. 3^o. In quem finem hæc Incarnatio facta fuerit; seu, quod in idem reuolit, cur Verbum caro factum sit?

R. Prima ac præcipua ratio fuit, ut à potestate Demonis liberaremur, et coheredes efficieremur vitæ æternæ, et cœlestis gloriæ. 2^{da}

ut Christus nobis esset exemplum ad bene vivendum. 3^{tia} ut nos proprio suo ore

viam salutis doceret. 4^{ta} ut ostenderetur gravitas peccati, pro quo etiam omnes Angeli ipsos etiam inferni poenas tolerare voluissent, nihilominus pro nobis Deo ex condigno minimè satisfacere potuissent.

Q. 4^{to} An anima Christi in ipso conceptionis instanti plenum habuerit rationis usum? 57.

R. Cum anima Christi fuerit tunc unita Verbo, quod est ipsamet sapientia; idè firmiter tenendum est, quod mox pleno rationis usu potita fuerit, ei que infusa fuerit scientia omnium rerum, imò vidit clarè Deum. visione beatificâ: hæc autem beatitudo non redundabat in corpus; alioquin Christus famem, sitim, astum, dolores, ac mortem pati non potuisset.

Q. 5^{to} Cur Christus natus sit ex Virgine? 58.

R. Christum potius ex Virgine, quam ex conjugate natum esse, ut ostenderet excellentiam status Virginitatis. Triplex quippe est status hominum in hæc vitâ, conjugalis scilicet, vidualis, et virginalis. Primus bonus est; Secundus melior; Tertius optimus.

Q. 6^o Cum Christus conceptus sit de Spiritu Sancto, an non filius Spiritus Sancti merito nuncupari debeat? 59.

R. Non, quia Spiritus Sanctus nihil de sua substantiâ addidit, sed solum ex substantiâ B. Virginis corpus Christi formavit. Hæc

34. igitur bene mater ejus, scilicet vero Spiritus S.
ipsum pater, dici potest.

§. 4^{us}

De quarto Symboli articulo.

Pater sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus
et sepultus.

60. Q. 1^o Quot sint veritates, quae nobis in hoc ar-
ticulo credenda proponuntur?

7
R. 1^o Jesum Christum perterritis irrisione,
flagella, contumelias, praeside in Iudaea Pon-
tio Pilato; easque irrisiones, ea flagella,
eas contumelias, eos cruciatus, vero eum dolo-
re affecisse juxta hanc ipsiusmet Christi in
Evangelio sententiam: Tristis est anima mea
usque ad mortem, Matth. 26. v. 38

2^o Per hanc vocem Crucifixus, Christum
actum fuisse in crucem; supplicii genus
non apud gentiles modo, sed et apud Ju-
daeos turpissimum, juxta illud Moysis, Deut.
21. maledictus qui pendet in ligno.

3^o Per aliam hanc vocem Mortuus,
animam Christi ab illius corpore se vera fuisse
separatam: sicut Evangelium. Fidem facit
ipsum, dum in cruce penderet, emisisse spi-
ritum: Id tamen non impedit, quin verbum
cum utroque, animam nimirum et corpore, hy-
postaticum unitum permanerit.

4^o Per hanc aliam vocem Sepultus, Cor-
pus Jesu mandatum fuisse sepulturae: id-
que ut veritas mortis, quam in cruce passus
fuerat, comprobaretur. Monitum tamen
volumus, omnes et singulas hujus articuli
quarta partes Christo, ut homini, non autem
ut Deo convenire. Nam pati et mori in crea-
tam tantum naturam cadunt, quamvis ipsi-
met Deo per idiomatum seu proprietatum
communicationem, quae quidem ex unione
substantiali humanitatis cum verbo oritur,
tribuuntur.

Q. 2^o Quid circa passionem Christi anima de-
vota sit considerandum? 35.
61.

R. Quis patitur: nempe altissimus Dei Fili-
us, Summe innocens, Summe mansuetus, Sum-
me bonus. 2^o Quid et quanta patitur: In
rebus exterioribus patitur spoliationem, quia
indus perdidit, nec haustum agro habuit;
in corpore amarissimam afflictionem, quia
à planta pedis usque ad verticem non fuit in-
co laritas, Isai. v. 6. in animam maximam tris-
titiā, unde dixit: tristis est anima mea us-
que ad mortem, Mat. 26. v. 38. 3^o à quibus pa-
tiatur; à Principibus Sacerdotum, et à populo
suo, cui tot beneficia contulerat. 4^o Cur
patitur; propter peccata nostra, et salutem
nostram: unde dicit Pater aeternus apud Isai-
am, c. 53. Propter scelus populi mei percussus
erum. 5^o Quid coegerit eum, ut tanta pa-
teretur: Immensus illius erga nos amor: Di-
lexit enim nos, et lavit nos a peccatis nostris
in sanguine suo, Apocalyp. 1. Quare Iurissimi
sanè cordis sit oportet, quisquis mutua dilec-
tionis vices non rependit.

§. 5^{us}

De quinto Symboli articulo.

Descendit ad inferos, tertia die resurre-
xit à mortuis.

Q. 1^o Quid prima pars hujus articuli nobis
credendum proponat? 62.

R. Christum, non tantum secundum di-
vinitatis virtutem, sed substantialiter, non
quidem secundum corpus, quod jacebat in se-
pulchro, sed secundum animam verbo hypos-
tatiè conjunctam, descendisse ad inferos, non
tetrū illum carcerem, quo Demones cum
hominibus reprobis concluduntur; non ad
locum purgatorium, quo detinentur animae,
quibus Deo pro peccatis aliquid superest per-
solvendum; sed ad receptaculum illud, in
quo animae Patriarcharum, aliorumque

36. Sanctorum, qui Deo plenè satisfecerant, expectabant Salvatoris mortem, per quam regni coelestis porta, illiusque hominibus clausa, reserarentur; qui locus vulgò limbus nuncupatur. Ibi eas, justorum hominum animas summam latitudinem affert presentia Christi, à quo mox donata sunt visione beatificam, quo quidem factò id Christus probavit, quòd Latroni, dum in cruce penderet, his verbis promiserat, Luc. 23. v. 43. Hodie mecum eris in paradiso.

63. Q. 2^o. Quid secunda articuli huius parte nos credere profiteamur?

R. Profitemur credere nos Christi resurrectionem, seu confitemur, post clausam Veneris diem, quà Christus obiit, clausam quoque diem Sabbati, per quam integram corpus illius in Sepulchro remansit, in eunte die illà, qua apud Romanos, Solis dicebatur, apud Iudeos prima Sabbati, apud Christianos Dominica nuncupatur, animam iterum unitam fuisse ejus corpori, vitamque, quàm prius vivebatur illi impertitam fuisse. Idque factum non alienam virtute, ut in Lazaro, quem Christus à mortuis suscitaverat, sed vi propria, ut potè divinitate, anima et corpori Christi hypostaticè seu personaliter conjuncta. Unde S. Paulus Christi resurrectionem tanquam argumentum efficacissimum, quo confirmetur veritas eorum omnium, quæ Christus ipse ante suam mortem docuerat, adducit.

64. Q. 3^o. Cur necesse fuerit Christum resurgere?

R. Ut fides nostra confirmaretur; illud enim maximo argumento esse debet, Christum filium Dei fuisse, cum hanc virtute à mortuis resurgere potuerit. Tum etiam ut spes nostra erigeretur et corroboraretur, cum enim Christus resurrexerit, certum speritemus futurum fore, ut nos etiam resurgamus, siquidem membra capitis sui conditionem consequantur, necesse est.

Q. 4^{to} Inveniam exempla ex Christi resurre-^{37.}
ctione auipere debeamus?

R. Hæc duo: 1^o Ut postquam peccati ma-
culas eluimus, novum vite genus instituerimus,
in quo morum integritas, innocentia, Sancti-
tas et modestia, justitia et humilitas elu-
cescant. 2^o Ut in ea vite institutio ita
perseveremus, quò, adjuvante Dominò, à
justitia semita, quam semel ingressi fue-
rimus, non exivimus. Quomodo Christus
suravit à mortuis, inquit Apostolus Rom. 6.
v. 4. ita et nos in novitate vite ambulemus.

§. 6^{tus}

De sententiâ Symboli articulo.

Ascendit ad coelos, sedet ad
deexteram Dei Patris omnipoten-
tis.

Q. 1^o Quid articulus iste credendum conti-⁶⁴
neat?

R. Necessario credendum esse, Christum
non tantum divinam virtute, sed et beatam,
hoc est, Beatis propriam, quam sibi anima
beata corpus gloriosum transfert, quocum-
que libuerit, à terris, quadragesimo post
suum resurrectionem, quam multis argu-
mentis confirmavit, die in coelum conscen-
disse, non quidem ut Deus est, sic enim
à coelis nunquam absuit, sed prout homo,
sive secundum corpus et animam. Debeba-
tur enim corpori glorioso coelestis ille locus,
necesseque erat, ut eò Salvator ascenderet,
tum ut probaret regnum suum non esse de
hoc mundo, tum etiam ut causam nostram
coram Deo Patre tanquam advocatus age-
ret. Ascensio autem hæc facta est ex
monte Oliveti, qui mille passibus ab Ur-
be Jerosolyma distabat, presentibus Apo-
stolis, B. V. Maria, necnon septuaginta duo-
bus Discipulis. De eâ ait Psalmista Psal.
46. v. 6. Ascendit Deus in jubilo. Et Apostolus
Ephes. 4. v. 8. Ascendens I. Christus: in altum
captivam I. scilicet: Iussit captivitatem,

38. omnium scilicet animarum, quae per eum à hinc
liberata fuerant.

68. Q. 2^o Quid his verbis sedet ad dexteram Dei
Patris, docemur.

R. Tropicae hae loquendi ratione, quae sedere
hoc loco non solum aut figuram corporis
significat, sed eam regiam summamque potes-
tatis ac gloriae firmam ac stabilem possessio-
nem, docemur Christi, ut persona est, aequi-
tatem cum Deo Patre; nulli enim Angelo-
rum, inquit Apostolus, Deus Pater dixit ali-
quando, Sede a dextera meis. Docemur pra-
terea, summam Christo, ut homo est, con-
cessam fuisse à Patre potestatem: unde et
ipse post resurrectionem suam Apostolos sic
advocatus est, Matth. 28. Data est mihi omnis
potestas in caelo et in terra. Monemur
etiam, firmam et constantem semper
fore gloriam, quae Christus in caelis fruitur.
De hac Christi potestate et gloria sic loqui-
tur Apostolus Ephes. i. v. 20. 21. et 23. Suscitans
illum à mortuis, et consti-
tuens ad dexteram suam in caelestibus, su-
pra omnem principatum, et potestatem,
et virtutem, et dominationem. ... et om-
nia subiecit sub pedibus eius.

Q. 3^o Quare Christus in caelum ascen-
dit?

R. Quia 1^o ut jam superius adnotatum
est, Altissimum caeli dominium ipsi con-
veniebat. 2^o Ut ea, quae ad salutem nostram
pertinent, curaret, nosque eum advocatum
apud Patrem haberemus*. 3^o Ut regnum
suum non esse de hoc mundo re ipsa comprobaret;
mundi enim regna terrena sunt et fluxa,
et ideo despicienda; at regnum Christi coe-
lestis est et aeternum, et ideo toto animo
desiderandum; in quo quidem regno illi
ditiores et gloriosiores futuri sunt, qui hae-
c, quae Dei sunt, diligentius quaerunt.
4^o Denique Christus in caelum visibiliter

* 1. Joan. 2.

ascendere voluit, ut nos eum ascendentem men-^{39.}
te et desiderio prosequeremur: nam quem
admodum morte, et resurrectione sua exem-
plum nobis reliquit, quod etiam mori, ac re-
surgere spiritu debeamus; ita etiam ascen-
sus nos docet, atque instruit, ut in terris positi
in coelum cogitatione nos conferamus, confi-
dentes nos peregrinos, et hospites esse super terram;
ne non patriam aspiciamus et requiramus,
desideremusque esse cives Sanctorum et Do-
mestici Dei, Ephes. 2.

S. 70.
De septimo Symboli articulo.
Inde venturus est iudicare vivos et
mortuos.

Q. 1. Quid doceat articulus iste?

70.
R. Docet, Christum post consumma-
tionem saeculorum, post completam pre-
destinatorum numerum, e caelis, quo post
mortem ascenderat, descensurum esse, ut
iudicet de universo genere humano. Chris-
tus igitur iudicaria illa potestate fruatur
id ut homo est, cum, ut ipse ait Joan. 5. v. 27.
Pater dederit ei iudicium facere, quia filius
hominis est. 2. Iudicabit quoque ut
Deus, cum, prout est Verbum, sit ipsa
Pateris Sapientia. Iudicabunt pariter
cum eo aliae 33. Trinitatis personae: Sed pro-
ut est homo, exterius proferet latam a se
et aliis personis, condemnationis, aut justi-
ficationis sententiam; ut cuius unusquis-
que recipiet, prout gessit in corpore live
bonum live malum, ait Apostolus 2. Cor. 5.
v. 10. Unde admonemur, eo cautius et re-
tius nobis vivendum esse, quo certius nobis
persuasum habemus, nostras actiones,
cogitationes, et vita rationes omnes ob
oculos tremendi totius orbis Iudicis perpe-
tuo versari.

Q. 2. In quo loco sit futurum iudicium?

71.
R. opinionem esse, illud futurum esse
in valle Josaphat, prope montem Calva-

ria, ex Joel. 3. ubi ait Dominus: adducam omnes gentes in vallem Josaphat, ubi disceptabo cum eis. Non tamen putandum est, quod Christus ad vallem hanc descensus sit, et quod omnes judicandos vallis illa capere valeat: erit enim Christus in aëre in loco eminenti, ut ab omnibus possit videri, et circa eum erunt Sancti à dextris, et mali erunt in terrâ undique circa locum iudicii in parte tamen sinistra, ut saltem creditur.

73. Q. 3.º Quomodo Christus sit venturus?
R. Cum potestate magnâ et majestate in throno nubium stipatus ab omnibus Angelis et Sanctis.

73. Q. 4.º Cur universale sit futurum iudicium, cum tamen quisvis mox post mortem iudicium subire debeat?

R. ut i.º toti mundo clarescat aequitas, sapientia, et providentia Dei in gubernatione universi: nam quidam arbitrantur, dum malos vident ducere dies bonos, et bonos è contrâ multa mala pati, nullam esse apud Deum sapientiam vel providentiam.

2.º Ut Christus tanquam Supremus Dominus ac Iudex ab universo orbe agnoscat, et adoretur. 3.º Ut palam exaltentur et honorentur, qui ab aliis injustè oppressi sunt, et confundantur ii, qui se improbi crederunt.

4.º Denique, ut corporibus sicut animabus debita aeterna gloria praemia, aut supplicia impertiantur; hoc enim nec sine omnium hominum resurrectione, nec sine universali iudicio fieri poterit.

74. Q. 5.º Quinam per vivos hic intelligantur?

R. Aliqui intelligunt electos, alii autem verosimilius eos intelligunt, quos iudicii dies vivos adhuc in carne offendet, qui tamen tunc etiam mortem oppetent,

sed non ad sonitum tubae, seu ad vocem Angeli^{41.}
resurrecturi.

§. 8^{us}

De octavo Symboli articulo.

Credo in Spiritum Sanctum.

Q^uo^o quid credendum sit de Spiritu Sancto? 75.

R^{es} 1^o Quod sit tertia in divinis per-
sona, quae dicitur Spiritus Sanctus,
non quod alia non sint pariter Spiri-
tus, sed quod illius à Patre et Filio^o
emanationi per amorem, nomen pro-
prium tribuere non possimus; unde, ut
personam illam designemus, cogimur
usurpare nomen commune. Ergo haec
tertia divina persona non à Patre tan-
tum procedit, prout peperam conten-
dunt quædam Schismatici, sed à Patre
et Filio simul tanquam ab uno Spira-
tore, quare et Spiritus Sanctus dici-
tur, quod nempe ab aliis duabus divi-
nis personis spiratur. 2^o Quod non
procedat per intellectum, sed per utri-
usque personae voluntatem, seu, ut iam
dictum, amorem. 3^o Quod sit Deus,
utpote Patri et Filio consubstantia-
lis; idque exprimitur per propositio-
nem In; credere enim in aliquem est
sicut iam supra observatum est, in eo
spem suam ponere, ad eumque tan-
quam ad finem ultimum totis viribus
contendere: at non in alio quam in Deo
spem nostram ultimo collocare possumus,
ipse solus est ultimus rationalis creatu-
rae finis. 4^o Quod ergo sit Paracletus,
ille et Doctor veritatis, qui corda creden-
tium gratia sua, suisque donis illustret,
purificet et sanctificet. 5^o Beni-

4^e. que, quod hujus tertia Persona explicita
cognitis sit ad salutem necessaria ne-
cessitate. unde, ut habetur Act.
19. Apostolus Ephesios non permisit igno-
rare Spiritum Sanctum; à quibus cum qua-
risset, an Spiritum Sanctum accepissent, illi-
que ne si Spiritus Sanctus quid esset, se sive
respondissent, statim interrogavit: In quo
ergo baptizatis estis? In quibus verbis, ait Ca-
techismus Romanus, distinctam hujus arti-
culi notitiam fidelibus absolute necessari-
am esse docuit.

76. Q. 2^o. Quot et qua sint dona Spiritus San-
cti?

R. Septem ab Isaia c. 21. enumerantur.
1. Donum Sapientiae, quo res altissimas et
caelestes contemplamur. 2. Donum intel-
lectus, quo obscura et difficilia penetrare
valemus. 3. Donum consilii, quo actio-
nes nostras prudenter dirigimus. 4. Do-
num fortitudinis, quo ardua quaque intre-
pidè aggredimur, et adversa fortiter tolera-
mus. 5. Donum scientiae, quo cognosci-
mus ea, quae ad salutem conducunt. 6.
Donum pietatis, quo cor emollitur, et ad
compunctionem excitatur. 7. Denique
Donum timoris Domini, quo animus ex re-
verentiâ filiali retrahitur ab offensâ Dei.

S. g. nus

De nono Symboli articulo.

Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.

77. Q. 1^o. Quid hoc articulo credimus?

R. Credimus 1^o catere congregationem
fidelium sub uno invisibili capite Christo,
et visibili ejus Vicario Romano Pontifice,
et Episcopis, quos sub uno eodemque Pontifi-
ce Romano Spiritus Sanctus posuit regere
Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.
Credimus 2^o eam fidelium congregatio-
nem esse Sanctam, non solum quod Deo sanc-

titatis fonti consecrata sit per Baptismum, quo initiata sunt singula eius membra, et conjuncta cum capite Christo, sed etiam quod Sanctam, id est, ab omni errore immunem, doctrinam profiteatur; quod legitimum habeat Sacramentorum usum; quod pia sint caeremoniae, quibus Deo externam cultum exhibet; quod a Spiritu Sancto regatur, unde in iudicio verum quo ad fidem aut mores spectant, infallibilis est; quod in multis eius membris, licet non omnibus, habitet Spiritus Sanctus, à quo sanctificantur.

Credimus 3^o Idam eandem Ecclesiam esse Catholicam, seu Universalem, ubique nimirum diffusam: quã quidem ejus dote præditã à Prophetis, expressã in Evangelis, usus est olim S. Augustinus, ut Donatistas, aliosque tum Schismaticos, tum hereticos in orbis angulo latitantes, in Ecclesiã non esse demonstra- ret.

Credimus 4^{to} Ecclesiam esse Unam, unitate capituli, unitate fidei, unitate Sacramentorum, unitate gratiæ, quam Christus, sicut vitis in palmites, in sua viva membra jugiter infundit, quamque per passionem suam promeritus est.

Q. 2^o Num præter has notas non sit adhuc 78. alia vera Ecclesiæ nota?

R. Quod sic; nempe cum sæculi Ecclesiæ quatuor in Oriente innumera grassarentur hæreses, quæ vera Ecclesiæ nomine gloriabantur Concilia Nicenum I. et Constantinopolitana II. hæc eandem addiderunt, Apostolicam videlicet dixerunt Ecclesiã, id est, edificatam supra doctrinam Apostolorum et Prophetarum, ipso humido angulari lapide Christo Jesu.

Q. 3^o An hæc quatuor vera Ecclesiæ nota 79. ex S. Scripturã deduci possint?

R. Quod sic. Et quidem pro Unitate Ecclesiæ dicitur 1. Cor. 1. Non sint in vobis Schismata. Item Ephes. 4. Unus Dominus, una

44. fides. Sed diversa Ecclesia diversam habent fidem. Pro Sanctitate, Ecclesia Ephes. 5. dicitur ab Apostolo, Sancta et immaculata; et à S. Petro 1. ep. c. 2. Fideles dicuntur gens Sancta. Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Pro Universalitate dicitur Matth. 24. Et predicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe. Pro Antiquitate seu Apostolicitate, dicitur Ephes. 2. Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

80. Q. 4^o. An ergo sola Romana Ecclesia istis notis sit insignita?
R. affirmativè. Est enim 1^o una, tum unitate fidei, doctrinae, Sacramentorum, et Sacrificii; tum unitate membrorum cum suo capite visibili, Romano scilicet Pontifice; prout supra jam dictum est. 2^o Est Sancta, tum ob sanctam et sanctam doctrinam; tum ob sancta opera; tum denique ob multitudinem Sanctorum, quos in gremio suo semper fovit, et etiamnum fovet. 3^o Est Catholica, nempe Universalis, adeo ut per orbem longe lateque diffusa sit, omnesque populos, sive sint barbari, sive Scythae, sive Savi, sive Liberi, sive masculi, sive foeminae, caritatis sinu complectatur. 4^o Denique est Apostolica, hoc est ab Apostolis propagata ad nos usque, nec non perpetuo in eam durat successio summorum Pontificum, quam successione tantifecit S. Augustinus, ut contra Epist. fundamenti c. 4. dicat: Tenet me in Ecclesia Catholica ab ipsa Sede Petri Apostoli usque ad presentem Episcopum Successio Sacerdotum.

81. Q. 5^o. An non adhuc alia vera Ecclesia nota, praeter istas quatuor, assignari possint?
R. Theologi nostri alias adhuc assignant, verum illae ad has quatuor reducuntur, et sunt illarum extensio duntaxat.

§. 10^{mus}
De Secundo Symboli Articulo.
Sanctorum Communionem, Remissionem
peccatorum.

Q. 1^o Quis sit communio Sanctorum? 82.

R. Est communicatio quaedam in Ecclesia cum omnibus fidelibus, quae se invicem velut membra in uno corpore, sub uno Capite Christo iam jurant, dum pro se invicem orant, bona opera quaecumque, ac Missae Sacrificia sibi applicant, Sacramenta sibi administrant &c. Per haec verba ergo Sanctorum Communio-
nem profitemur, nos credere varia ac multiplicitia dona, quibus Ecclesia ornata est, communia esse, quoad fructum, singulis fidelibus: ita ut, licet omnes gratiam sanctificantem non habeant, nec instructi sint donis gratuitis, quae passim gratis salute nominantur; ea tamen dona ad cuiusque Ecclesiae membri salutem conferant; singuli fideles per Sacramentorum receptionem sanctificari possint; uniusque, suo modo, prosint; iustorum orationes, &c.

Q. 2^o Quinam ad hanc Sanctorum Communionem pertineant? 83.

R. 1^o Omnes Sancti in caelo, quorum orationibus huc in terris fideles iurantur. 2^o Omnes illi, qui in Ecclesia militante velut in domo et familia Dei huc in terris versantur, atque unionem individuum servant. 3^o Denique Omnes animae in purgatorio detenta.

Q. 3^o Quid per ista verba: Remissionem peccatorum nobis proponatur? 84.

R. Docemur 1^o Peccata verè remitti in Ecclesia Catholica: nec immerito; immo nemo ad eam admittatur nisi per Baptismum, quo omnia scelera parvulis per fidem Ecclesiae, à qua offeruntur, et adultis debite ad illum recipiendum dispositis dimittuntur. 2^o Esse in eadem Ecclesia potestatem remittendi peccata, quae

46. post Baptismum à fidelibus committuntur. Ap-
tolos nimirum, et eorum in Sacerdotio Succes-
sores, cā facultate Christus ipse post suam à mor-
tuis resurrectionem hinc verbis donavit: Quorum
remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum
retinueritis, retenta sunt. Ergo remissio pec-
catorum in Ecclesia Catholica fit vel per Baptis-
mum, quo tollitur omne peccatum in Baptizato
non fuit ad Baptismum auedente; vel per po-
nitentiam, postquam nempe quis post Baptis-
mum in peccatum lapsus est.

§. 11^{us}

De Undecimo Symboli articulo.

Caruis resurrectionem.

85. Q. 1^o Quid hoc articulo docemur?

R. Docemur, animam, quae per mortem
à corpore separata fuerit, iterum illi con-
jungendam esse, idque, ut referat unisquis-
que prout gessit in suo corpore sive bonum
sive malum; cum scilicet in fine mundi An-
geli voce omnes homines mortui suscitabun-
tur et resurgent, ut ante tribunal Christi
in carne appareant: Procedent, autem, in-
quit Christus, Joan. s. v. 29. qui bona fecerunt
in resurrectionem vitae, qui vero mala ege-
runt in resurrectionem iudicii. Et, ut ait
Iohannes 1. ep. c. 2. in supplicium aeternum.
O quam prudentes illi, qui moribundum hoc
corpus in iustitia ac virtutis servitute redigunt,
ac per sancta opera ibi beatam immortalitati
preparant!

86. Q. 2^o In quo probari potest resurrectio mor-
tuum?

R. Christus apud Matthaeum c. 22. v. 32.
eam evincit ex immortalitate animae, ut-
potè, quae separata à corpore naturaliter exi-
git rursus cum eo conjungi.

87. Q. 3^o Unde haec animae immortalitas pro-
betur?

R. Quae de fide certa sunt, probatione non

sgent; nihilominus anima immortalitas ex hoc 47.
morali argumento efficaciter demonstratur:
Certum est, quod justitia divina, ac lex natu-
ralis, quae aeterna est et immutabilis, necessario
exigant, ut boni remunerentur, ac mali pu-
niantur. atqui saepe accidit, quod boni et pii
in hoc mundo vitam in continuis doloribus et
miseriis transigant, dum contra impii jugiter
bonos dies ducunt. Ergo altera vita sit, necesse
est, in qua isti condignam poenam, illi vero
justam mercedem recipiant: quod fieri non
posset, si pereunte corpore, periret anima.

Q. 4.º Cur corpora resurgere debeant? 88.

R. Ut cum animabus mercedem suam re-
cipiant; aequum enim est, ut id, quod ad
gloriam Dei et salutem animae cooperatum
est, etiam suum premium consequatur;
aut poenis illi applicetur, cujus consortis deli-
cti sunt.

Q. 5.º An in carne propria hinc resur- 89.
recturi?

R. firmiter tenendum est, illud ipsum
atque idem corpus à mortuis revocatum iri,
quod antea habuimus, quamquam forte com-
bustum, aut à bestiis devoratum fuerit. Un-
de Job ait: In carne meâ videbo Deum meum. * c. 19. v. 26.

Q. 6.º An omnes procius homines sint mo- 90.
rituri, ut resurgant?

R. affirmative ex supra §. 4. Resp. ad Q. 5.º
num: 74. Mors enim resurrectioni, quae omni-
bus concedetur, praesupponitur necessario.
Nec contrarium probant. haec Apostoli verba
1. Thesal. 4. Mortui qui in Christo sunt, re-
surgent primi, deinde nos, qui vivimus, qui
relinquimur, simul rapiemur cum illis ob-
viam Christo in aëra. Nam, ut S. Ambrosius
exponit, mors electos, qui usque ad adven-
tum Domini in terris superstites fuerint,
in ipso ad aëra raptu praevenerit.

Q. 7.º Quanam futura sint dotes, quibus 91.
corpora justorum donabuntur?

R. Haec quatuor: Claritas quae corpora.

48. Longè splendidius Solè fulgebunt. Impassibilitas,
quã ab omni molestiã, dolore, vel incommodo
in perpetuum liberi permanebunt. Agilitas,
quã sine morã celerrimè in quamcumque par-
tem, vel quemcumque locum movere se pote-
runt. Ac denique Subtilitas, quã corpora bea-
ta efficiantur Spiritualia. Seminatur, in-
quit Apostolus, 1. Cor. 15. corpus animale, surget
corpus spirituale. Reproborum verò corpo-
ra erunt obscura, passibilia, ponderosa, fo-
lida, &c.

§. 12^{mus}

De duodecimo Symboli articulo.
Et vitam eternam.

92. Q. Quid doceat hic ultimus articulus?
R. Docemur, homines, qui divina mandata
observaverint, consenturos esse vitam eternam,
id est, beatitudinem eternam, quæ divina
essentia intuitivam, ut vocant, visionem, amo-
rem, et consequentem ex illo duplici actu
delectationem et quietem includit. Quæ bea-
tudo tanta erit, ut, teste Apostolo 1. Cor. 2.
Nei oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor ho-
minis ascendit, quæ preparavit Deus diligentibus
se.
- bono fides, de vitã eternã Symbolum clau-
dit, tum quod post resurrectionem nihil aliud
à fidelibus sit expectandum nisi eterna vita
premiu, tum etiam ut perfecta illa felici-
tas nostris semper oculis observetur, ac in cõ-
mentem et cogitationes omnes defigendas esse
doceamur. Et sanè si vita hæc, quæ mise-
rius abundat, adeò diligitur, ut nihil eã cha-
rius habeatur, quanto plus est facienda illa,
in quã Sancti velut in oceanõ omnium delicia-
rum ac voluptatum natant, ac summã glo-
riã, omnibusque bonis cumulantur sine fas-
tidio, sine terminõ, in omnem eternitatem.
Ergo sanè hujus beatitudinis consequenda gra-
tiã nullum pietatis opus arduum, nullus labor
gravis, nullus dolor acerbus, nullum in agendõ

44.
patienter tempus, diuturnum aut molestum
existimari debet: Non enim sunt condigne poe-
nes huius temporis ad futuram gloriam, quae re-
velabitur in nobis, inquit Apostolus, Rom. 8.

o felices, qui a Christo aliquando audituri
sunt illa verba omni consolatione plena: Veni-
te benedicti Patris mei, possidete paratum vo-
bis regnum a constitutione mundi! O nimium
infelices illi, quibus voce terribili dicitur: Dis-
cedite a me maledicti in ignem aeternum, qui
paratus est diabolo et Angelis eius! Ad illo-
rum igitur numerum venire per sancta
opera omnes vires intendamus, ab istorum
vero consortio separari nunc a malo decli-
nando impense satagemus.

Pars Secunda. 93.

De Spe, et iis, quae ad eam
pertinent.

Capitulum primum
De Spe ipsa.

S. I.

De essentia et objecto Spei.

Q. 1.º. Quid est Spes?

R. Spes est virtus Theologica divinitus
infusa, per quam nostram salutem a Deo
firmiter expectamus. Equidem etiam
in B. Virgine Maria, aliisque Sanctis sperare
possumus, verum haec Spes non est Theologica,
sed potius fiducia nuncupari debet. Itaque
cum Sancti sint potentes Dei amici, ideo
in ipsorum intercessionem magnam fiduci-
am merito collocamus.

Q. 2.º. Quodnam sit objectum Spei? 94.

R. Primum est Deus possidendus; secun-
darium sunt media salutis a Deo instituta,
nempe gratia, et bona opera ex virtutibus gra-
tia facta, sine quibus Spes esset mera presump-
tio. Item bona temporalia, quatenus per bo-
num usum ex gratia Dei ad salutem condu-